

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 83. (Neovidensis 1808. Nro. 82.)

## *Politica Colloquia.*

Elysium-Meum.-Die Veneris 28 Oct. 1808. (Neov. 11 Oct. 1808.)

### T e x t u s :

Bella gerant alii : tu , felix Austria ! — nube

**H**oc erat olim politicum proverbium, quod ad Austriacam Domum accommodare solebant. Causam historia aperit. Austrianunquam vi aut bello quidquam occupavit; sed totam suam Monarchiam ex legitimis hereditatibus confluxit. At quantis hereditatibus, & juribus hereditariis excidit? — Praestat ab hoc cogitationem avertere; praeterierunt felicia illa tempora, & cum iis pacta prioris systematis politici!

Nihilominus Augusta Domus Austriaca etiam in praesenti rerum statu politico illi proverbio fida permanet. Latinus ille versiculus, qui in proverbium abiit, mutatis quibusdam vim suam retinere potest: *Bella gerant alii : tu , felix Austria ! cerne !*

Vere cernit & circumspicit illa; armat se, non ut adgrediatur, sed ut se defendat; haec nationalis militiae defendendae Patriae ratio, exemplo aliorum regnorum. Quod vel ex populari quodam hymno, in opus aliquod

perio dicum plebis gratia scriptum: cui Eipeldauer nomen est, inserto, intelligi potest. **Præsens** politicus Austriaci Imperit aitus in hymno illo sequentibus describitur. *Franciscus Pater vix innuit, arma, quibus Patria defenderetur, ut caperemus, cum ad vexillum fraterno foedere cuncti festinavimus, Ad hoc vexillum sancte juramus, unanimes ituros nos quocunque illud viam monstraverit. Heu videte quot antiquo Habsburgico de sanguine creti heroes, spiritum nobis daturi, duces se nobis præbent. Pace quidem adhuc perfruitur Patria, hostis adhuc nullus terret, nec aliud nisi providentia, nos ut uniremus, effecit. Ut si forte quis insolens hostis pacem turbaverit, essent, qui ob hanc perfidiam poenas desumerent. Non est nobis propositum aliena ut rapiamus, sed solum ut nos, nostraque defendamus. Aras sacras Deo, Et qui nos suo regimine beant, Augustos Coniuges, Patriam porro, nos universos sinu suo foventem, tuentemque, denique uxores liberosque strictus hic ensis defendat! Hac, hac lege fiet, ut Deus hominesque justam fuisse nostram pugnam agnoscant. Qui hoc animo arma corripit, neque ludibrium fortunæ, neque mancipium hosti se præbebit. Igitur ad arma fratres, jungite dextras, Et jurate juramentum, ut universa Patria audiat.*

Et sane vera sunt, quæ hymnus iste continet. Præter duas continentis Potentias, Gallicam & Russicam, Austria sola est, notabilis adhuc Potentia: ejus pax vel neutralitas medio inter illas duas loco consistit; ac nisi Austria potentia valeret, ut duas illas, quominus sese contingant, sejungeret, infortunium inde & bellum perpetuum existeret. Eadem esset Europæ, quæ fuit post pacem Vestphalicam facies. Tunc duæ solum magnæ Potentiæ erant in contingente, Gallia

& Austria, quæ re ipsa etiam mutuis se bel-  
lis continuo atterebant. Si quæ tertia magna  
potentia exstisset, certe per hujus interme-  
diationem, per se alioquin magnum momen-  
tum habentem, calamitatibus illis bellicis fi-  
nis impositus fuisset.

Austria quidem nunc notabilem jactu-  
ram provinciarum fecit, sed id agit, ut eam  
internis Coordinationibus procuratis compen-  
set, hinc reservæ, hic nationalis militia. Ex-  
ercitus Austriacus deminutus non est, quin  
imo exemplo aliarum Potentiarum auctus est.  
Galliæ perinde & Russiæ politice rem spectan-  
do interest, ut Austriam tanquam interme-  
diatricem potentiam respiciant. Austria ita  
loquendo pons est, per quem transitus Con-  
stantinopolim pateat. Hunc pontem solerter  
custodiri oportet. Utriusque Potentiæ inter-  
est, ut incolumis stet Turcia. Quæ hanc  
subigeret, hoc ipso jam alteri prævaleret,  
sive hæc sit Gallica, sive Russica Potentia.

Austria est neutri istarum Potentiarum  
inimica, quin imo utrique amica, nonnisi  
Turcia in discrimen adducta. vim suam ex-  
serere potest. Politica adeo mutata est, ut  
Austria sit antemurale Muselmannorum effe-  
cta. Cetera Continentis inter duas illas ma-  
gnas Potentias interjecti & tantum ad mino-  
res Potentias pertinentis pars, Austriam non  
tantopere interest. Ibi tantum duæ illæ ma-  
gnæ Potentiæ influunt. Hæc causa est, quod  
ultimo bello neutralia manserit.

perio dicum plebis gratia scriptum: cui Eipeldauer nomen est, inserto, intelligi potest. **Præsens** politicus Austriaci Imperii situs in hymno illo sequentibus describitur. *Franciscus Pater vix innuit, arma, quibus Patria defenderetur, ut caperemus, cum ad vexillum fraterno foedere cuncti festinavimus. Ad hoc vexillum sancte juramus, unanimes ituros nos quocunque illud viam monstraverit. Heu videte quot antiquo Habsburgico de sanguine creti heroes, spiritum nobis daturi, duces se nobis præbent. Pace quidem adhuc perfruitur Patria, hostis adhuc nullus terret, nec aliud nisi providentia, nos ut uniremus, effecit. Ut si forte quis insolens hostis pacem turbaverit, essent, qui ob hanc perfidiam poenas desumerent. Non est nobis propositum aliena ut rapiamus, sed solum ut nos, nostraque defendamus. Aras sacras Deo, & qui nos suo regimine beant, Augustos Coniuges, Patriam porro, nos universos sinu suo foventem, tuentemque, denique uxores liberosque strictus hic ensis defendat! Hac, hac lege fiet, ut Deus hominesque justam fuisse nostram pugnam agnoscant. Qui hoc animo arma corripit, neque tudibrium fortunæ, neque mancipium hosti se præbebit. Igitur ad arma fratres, jungite dextras, & jurate juramentum, ut universa Patria audiat.*

Et sane vera sunt, quæ hymnus iste continet. Præter duas continentis Potentias, Gallicam & Russicam, Austria sola est, notabilis adhuc Potentia: ejus pax vel neutralitas medio inter illas duas loco consistit; ac nisi Austria potentia valeret, ut duas illas, quominus sese contingant, sejungeret, infortunium inde & bellum perpetuum existeret. Eadem esset Europæ, quæ fuit post pacem Vestphalicam facies. Tunc duæ solum magnæ Potentiæ erant in contingente, Gallia

& Austria, quæ reipsa etiam mutuis se bel-  
lis continuo atterebant. Si quæ tertia magna  
potentia exstisset, certe per hujus interme-  
diationem, per se alioquin magnum momen-  
tum habentem, calamitatibus illis bellicis fi-  
nis impositus fuisset.

Austria quidem nunc notabilem jactu-  
ram provinciarum fecit, sed id agit, ut eam  
internis Coordinationibus procuratis compen-  
set, hinc reservæ, hic nationalis militia. Ex-  
ercitus Austriacus deminutus non est, quin  
imo exemplo aliarum Potentiarum auctus est.  
Galliæ perinde & Russiæ politice rem spectan-  
do interest, ut Austriam tanquam interme-  
diatricem potentiam respiciant. Austria ita  
loquendo pons est, per quem transitus Con-  
stantinopolim pateat. Hunc pontem solerter  
custodiri oportet. Utriusque Potentiæ inter-  
est, ut incolumis stet Turcia. Quæ hanc  
subigeret, hoc ipso jam alteri prævaleret,  
sive hæc sit Gallica, sive Russica Potentia.

Austria est neutri istarum Potentiarum  
inimica, quin imo utrique amica, nonnisi  
Turcia in discrimen adducta. vim suam ex-  
serere potest. Politica adeo mutata est, ut  
Austria sit antemurale Muselmannorum effe-  
cta. Cetera Continentis inter duas illas ma-  
gnas Potentias interjecti & tantum ad mino-  
res Potentias pertinentis pars, Austriam non  
tantoperò interest. Ibi tantum duæ illæ ma-  
gnæ Potentiæ influunt. Hæc causa est, quod  
ultimo bello neutralis manserit.

In bellum maritimum Austria inflare non potest, nam & portus tantum exiles habet, & rem navalem nullam. Hinc facile potest reddi ratio, quamobrem nunc negotiis Erfurti agitatis, æque ut ultimi belli tempore, neutralitatem secuta sit. Igitur: *Bella gerant alii, tu, felix Austria — cerne.*

At at de negotiis Erfurti agitatis nihil constat, quamvis iis jam finem impositum esse, Erfurto & Vinaria dd. 7. Oct. sequentibus significetur:

Heri vespere hora media sexta summa nobis gratia obtigerat Suæ Maj., Imperatorem Napoleonem, & Alexandrum &c. a venatione Ettersburgi institute, comitante illos Sua Seren. nostro Principe, & Domino Principe hereditario, reduces, in hac Civitate videndi. Suæ Maj. Ettersburgum circa horam 1. pomerid. adpellentes in tractu quodam, in cujus medio magnum tentorium summis his Dominis cum ceteris eos comitantibus excipiendis, erectum fuerat, ad 40 frustra cervorum & caprarum trajecerunt.

Ad Civitatem venientes Suæ Maj. in porta ab hujate Magistratu, & venatorum coetu concentu musicæ, vexillisque prælatis exceptæ, per Civitatem euntes, in Castello condescenderunt. Ingruente nocte domus Civitatis fuerunt illuminatæ, in quibus se distinxit Castellum, domus Civica, & aedes excubiarum.

Hora octava Eadem Suæ Majest. cum Comitatu aliorum summi ordinis virorum

plateas utrinque, ardente face, stipantibus Civibus, Theatrum inviserunt. Actores gallici Erfurto advenientes exhibebant mortem Cæsaris. Hoc sequebatur splendidus saltus ab Aula adornatus, & lautissimum Convivium.

Venationi intererant adhuc Suxæ Majestates, Rex Saxonis, Bavaris, Würtemberge, Sua Celsitudo Princeps Primas, & plures alii Principes, Mareschalli, & Generales.

Hodie mane hora nona, aperta rheda, comitante Sua Serenitate Principe, & una parte hic excubantis equitatus, profectæ sunt Suxæ Majestates ad visendum ante duos annos sanguine caesorum fumantem campum Jenensem, unde iterum Erfurtum reverterunt.

Sua Majestas Imperator & Rex Napoleon, 12. hujus abhinc discedet per Francofurtum in Galliam profecturus. Supplementum hac confluentium notabiliorum personarum: Princeps Victor ab Hellen Rothenburg; Princeps Hohenzollern, Pr. a Philippsthal; Mareschallus Mortier, Princ. Trevisanus; Baro a Montgelas, Status Minister; B. a Leykam; Com. a Reuss, Com. a Wartemberg, Adjutores ad comitatum Suxæ Maj. Regis Bavaris pertinentes; Com. Arowsky ex Russia; Divisionis Generalis Penuet, Gen. Laurent & c.

Sed paginae publicæ sequens addunt ad magnam Politicam episodium.

*Hamburg 26. Sep.* Recte nunc officioso nuncio Londinensi perfertur nobis, Generalem Junot reipsa quidem, sed cum honorificen-

tissimis sibi conditionibus Capitulationem ini-  
viffe. Hæc Capitulatio inita est 30. Lisabonæ  
per gallicum Generalem Kellermann, & An-  
glicum Gen. Daleymple. —

Galli excedunt Portugallia, & ad aliquem  
portum gallicum deportabuntur; non sunt  
captivi, & possunt statim servitia militaria  
obire. Præterea integrum eis est omnia im-  
pedimenta, omnemque proprietatem secum  
auferre. Cum naves nonnisi ad 800 equos  
deportandos præsto fuerint, cum ceteris dis-  
ponere integrum eis erit. Russia Classis  
instar depositi ab Anglis tenebitur usque sex-  
tum ab inita pace mensem. Sex mille nau-  
tæ in Russiam deportabuntur. Jam a 22.  
Augusti armistitium erat inter utrumque ex-  
ercitum.

Post cladem ad Vimiera, expeditio Ge-  
neralis Moore excendit paulo infra Peniche,  
altera expeditio subintrans Tagum excensio-  
nem fecit, & se in dextra ripa hujus flumi-  
nis recta linea usque ad Metropolim exten-  
dit. Gallicus Generalis, non obstante eo  
quod a 19. usque 21. victor, emolumentis  
quibusdam gauderet, facile vidit, fieri non  
posse, ut, ejectis Anglis, Portugalliam por-  
to etiam tenere posset. Potuisset ille quidem  
sua vallo munita castra, & munimenta Lisa-  
bonensis urbis porro etiam tueri, potuisset  
etiam Anglos ab ingressu in Tagum aliquam-  
diu adhuc prohibere, sed ea res Lisabonen-  
ses non modo omnium rerum penuriæ, sed  
etiam omni generi calamitatum bellicarum ex-  
posuisset.

Generalis Junot ut se in castris suis figere posset, equos periculo exponere debuisset. Ducebat ille agmen in facie magnæ & illustris urbis, quæ pronam se semper exhibuit ad has belli calamitates rependendas, ejusque exercitum incolumem præstandum, imo eundem cum omni adparatu belli vexillis, armis & tormentis in Galliam reducendum. Cum ille tam diuturno tempore nullam communicationem fovere potuerit, scire non potuit quæ interim in Gallia dispositiones factæ essent, & quo tempore suppetiæ ei præsto forent; cum contra adversa pars facile poterat & victualibus se & vi instruere. Præter has relationes politicus respectus adhuc majorem vim habebat quam bellicus; hujus rei tractatus ipse, cui Princeps Abrantensis subscripserat documentum præbet, ex cujus tenore satis patet Anglos post cladem 19. & 21. acceptam, minime ut victores tractavisse. Gallicus exercitus vi pacti Portugallia excedit, omnibus trophæis, & insignibus militaribus decoratus; petet Hispaniam, ibi agmen extremum magni Hispaniæ exercitus formaturus, & intra spatium 1 aut 2 mensium idem hic exercitus eodem Portugalliæ loco visetur, ex quo ille nunc, bono Portugalliæ consulturus, discesserat.

*Parisis 11. Oct.* Monitor sub hodierno inter alios articulos Erfurto dd. 1. currentis significat, Baronem a Vincent, Legatum Sui Maj. Imp. Austriæ illuc adpulisse.

Literæ Bajonna dd. 2. currentis continent sequentem relationem: „Nos hodie nullum de exercitu accepimus nuncium. Infelix assultus, quem Insurgentes fecerant, probabiliter animos iis adimet posteriores expeditiones tentandi. A 26. Aug. Gen. Black (ita eum gallicæ ephemerides loco Block nominant) numerosis copiis auctus est, neque tamen id obstitit, quominus Bilbao festinantissime relinqueret. Mareschallus Ney, trajecto Durango verus hanc urbem properabat, quo latus Hispanorum premere posset, & Gen. Mouton cum sua Divisione per Balmasedam tendens, volebat hostem a tergo infestare. Nisi dimidia hora prius Hispani se retraxissent, pugnam difficulter effugissent, quæ funesta iis accideret potuisset.

Nudius tertius Domina Mater Imperatoris, & Regina Hispaniæ sic dictum Panorama Tilsitense inviserunt.

Fide digna narratur Ministrum Stein Regiomonto nondum excessisse, sed adhuc ibi existere, Uxor illius adhuc isthic commoratur.

---

*In hac Typographia prostat venalis:*  
 Catechismus Ecclesiarum Imperii Gallici:  
 8vo 1 fl.